



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 14. Specimen per ignes captum inter schismaticos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIII.
A.C. 1284.

§. XIV.

*Specimen per ignes captum inter
schismaticos.*

c. 21.

c. 22.

n. greg.

Sup. l. 84.
S. 61.

Imperator nec monitis nec argumentis suis componere gratiam inter partes adversas poterat. Arsenitæ si rationibus humanis cederent, pertinaciæ notam, quod his tamdiu obstitissent, veriti, miracula, quibus de voluntate divina securi fierent, identidem exigebant. Patriarcha aperte in ea non consentiebat: sed per Imperatoris operam duas inter partes convenit, ut Arsenitæ in codice scriberent querelas suas, & quæ ad pacem jungendam censerent necessaria; Josephitæ vero defensiones suas litteris mandarent. Accenderetur ignis magnus, in quem uterque liber conjiceretur: atque si alteruter ibi integer maneret, ambæ partes agnoscerent Deum stare ab hujus scripti authoribus: sin uterque periret, duæ partes similiter redirent in gratiam, & igne absumptam discordiæ suæ materiam crederent. Vidimus experimentum per ignem, aut certe per ferrum candens viginti quinque abhinc annos apud Græcos non extra usum fuisse.

Imperator procurandæ concordiæ causa nulli parcens sumptui eam solam

ob rem confici ex argento focum cura-
vit: & ut erat hebdomas major, diem

Sæcul. XIII.
A.C. 1284.

sabbati sancti 8 Aprilis specimini capien-
do præstituit. Duæ partes ad hanc ac-
tionem per preces plurimas præparatæ,
cum dies venisset; libros suos publice
ac præsentate Imperatore viris probis &
minime suspectis porrigebant. Quibus
eos igni tradentibus utraque factio Deo
servide supplicabat, ut se ipsi faventem
ostenderet. At ignis suum effectum na-
turalem habuit; ambo volumina paleæ
instar conflagrabant: & intra brevius
quam duarum horarum spatium solus
eorum cinis supererat. Tum Arsenitæ
se Gregorium pro Patriarcha suo habere
Imperatori dicebant. Qui gaudio elatus
eos e vestigio ad illum duxit pedibus in-
cedens, quamvis ningeret. Eulogias
ab illo ipsamque comunem sacram ac-
cipiebant, ita, ut a schismate suo plane
in concordiam rediisse viderentur. At
postero die Paschatis eorum studium coe-
pit refrigescere: præoccupatos subito a-
nimos putabant suos: & postquam illo
die se ægre continuerant, altero fere o-
mnes reclamarunt.

Imperator se operam lusisse cernens,
Arsenitarum præcipuos ad colloquium
vocatos rogabat, quid sentirent de Patriar-
cha Gregorio. Nesciebant, quid repo-
nerent. Cogitabant enim mirum fore,

ni

Sæcul. XIII.

A.C. 1284.

Act. 5. v. 4.

ni eum agnoscerent Patriarcham, cum sacram communionem ex manu ejus accepissent: si vero agnoscerent, fore iniquum per speciem mali exempli concordiam ei denegare. Denique fatebantur eum esse Patriarcham. Ergo Imperator illum produxit: abdiderat enim in proximo pontificiis ornatum vestibus. Gregorius ab Arsenitis agnitum se videns, violatam promissorum fidem eis exprobrare coepit his S. Petri verbis: Non estis mentiti hominibus sed Deo: & mox anathema contra eos pronunciavit, religiosiores ad officium hoc modo reductum iri ratus. Verum hac agendi ratione magis exacerbati abibant ob anathema parum anxii. Aliquos tamen remansisse gaudebant Imperator & Patriarcha, velut si perstitissent omnes. Sed qui restabant, præter illa, quæ contra partes contrarias facta jam fuerant, postulabant, ut, quoquot Joannes Veccus consecrasset, Constantinopoli divinis interdicerentur in perpetuum; qui extra urbem agerent, ad tempus abstinere functionibus juberentur, nisi essent vexatores, qui deberent perpetuo interdicto affici; alteri post poenæ suæ spatium nequirent promoveri ad Ordinem altiorem, quantumcunque progressum in virtute fecissent. Postquam hæ conditiones litteris consignatæ fuerant, discesserunt.

§. XV.